



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De S. Florida Virgine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

insignem ejus virtutem reverentes : et ideo illi magnam honorem tribuebant, et templum magnæ Anastatiæ, quod ab illo fuerat conditum, pretiosis vasis ex auro et argento factis decoraverunt. Ille autem donum remunerans, decrevit ut diebus solemnibus, patria eorum lingua (Gotthi enim erant) divinitus inspiratæ scripturæ in eo templo legerentur. Sed Byzantinis quidem erat Marcianus adeo venerandus. Vocabat autem fama eas quoque, quæ procul sitæ erant, civitates; et undique confluebant, alii quidem percepturi peccatorum curationem, alii vero morborum : et nec deerant quidem, qui a Roma veteri veniebant. Inter quos aliquo quoque, quod factum est dignum memoratu, non par esse arbitror fraudare vestras aures.

*Infirmam san-*  
*nat.*

27 Quædam enim mulier laborans diurno fluxu sanguinis adeo graviter, ut omnis medicinæ, quod ad eam attinebat, vanum existimaretur studium et supervacaneum, ea Roma relicta, (eam enim vocabant divina signa Marciani, quæ canebantur ab omnibus)

pervenit Constantinopolim. Neque vero eam tantum iter confecisse posuit, ut quæ tanta vexatione nihil dignum consecuta sit; sed simul ut ad justum accessit Marcianum, et morbum significavit, curata est mulier. Talis enim fuit hic vir divinus, ut nec tactu quidem sæpe, sed sola precatione et nudo aspectu liberaret eos qui accedebant, et ei exhibebant negotium. Tantus quidem fuit Marcianus miraculis : talis autem iis quoque, quæ recte et ex virtute gesta sunt, convenienter divinæ promissioni, quæ dicit: Eos qui me glorificant, glorificabo. Cujus intercessionibus nobis concedatur, illius esse honorum participes, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potentia nunc et in secula seculorum, Amen.

Ex  
METAPHRASE.

1. Reg. 2. 30.

a Aspar senioris Ardaburii filius, junioris, cujus hic mentio est, pater. Anbo Ariani, spadonum ensibus interire, ut tradit Marcellinus Comes, Indict. 9, Leone Aug. IV, et Probiano Coss. anno Christi 471. Chronicon Alexandrinum Indict. 5, Pusæo et Joanne Coss. an. Christi 467, hoc autem contigisse, magnamque in urbe tumultum exstitisse, cum haberent copiam magnam Gothorum, et Comites, et alios famulos sibi adhærentes.

## DE S. FLORIDA VIRGINE.

X JANUARI.

**D**ivione in Burgundia S. Floridæ Virginis agi hodie natalem tradunt Ferrarius, Molanus in Appendice, Martyrolog. Germanicum. De ea S. Gregorius Turonen. de gloria Confessorum, cap. 44. In hac basilica, inquit, (castris Divionensis, in qua S. Paschasia Virgo sepulta est, ut IX Januar.

dicimus, et SS. Hilarius et Quiera, parentes S. Joannis Abbatis Reomensis, de quo xxviii Januar.) in hac ergo basilica et S. Florida quiescit, quæ, ut ferunt incolæ, veste mutata religiosa valde fuit. Meminit S. Floridæ And. Saussaius in Appendice Martyrologii, sed nullo ei assignato natali; et Cl. Robertus in Divione.

## DE S. VALERICO, SIVE VALERICO, EREMITA IN GALLIA.

SECOLO VI,  
X JANUARI.  
S. Valerici  
natalem.

**V**alericum, aut Valericum, eremitam, (alium a Valerico Luoviensi monacho, de quo 1 Aprilis) refert hoc die Philippus Ferrarius his verbis : Apud Lemovicenses S. Valericii Abbat. In Notis ait, ex civitate opulenta, cum relictis omnibus ad sepulchrum S. Martialis esset profectus, factum esse multorum monachorum Patrem. Martyrologium Gallobelgicum : Eodem die decessit in territorio Lemovicensi S. Valericus eremita, in Belgio nobili genere natus, sed multo virtutum præstantia nobilior.

patria,

2 De eo ex Lectionibus Ecclesiæ Lemovicensis hæc scribit Joannes Molanus in Natalibus SS. Belgii : In territorio Lemovicensi S. Valerici eremita et Confessoris. Qui dilectus Deo et hominibus, in provincia Galliæ quæ Germania dicitur inferior, illustrium virorum sanguine, Christianis parentibus est natus. Postmodum Christo duce Aquitaniam ingressus, et locum secretum expetens, a Clericis Ecclesiæ S. Martialis Lemovicensis, qui eum summa reverentia prosequerantur, locum solitudinis accepit; in quo ei construxerunt cellulam, et ecclesiam in honorem Martyris Juliani. Multi autem eo confugiebant ob disciplinam. Clarescebat etiam, providente Deo, per miraculorum exhibitionem. Omnibus interea virtutibus ornatus, cum senio gravaretur, sanctitate juvenesceret, sumpto Dominici corporis viatico, inter verba orationis animam Deo lætus reddidit, quinta Epiphaniæ die. De S. Martiale Lemovicum Apostolo, cujus hic mentio fit agemus xxx Junii.

secessus,

obitus,

ætas,

3 Qua ætate floruerit S. Valericus, docet hoc paullo prolixiori elogio Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano : In agro Lemovicensi S. Valerici Confessoris et eremita, qui in secunda Belgica sub Rege Clodoveo magno, ingenuis natalibus ortus, cum ab insita naturæ præstantia, ad omnem virtutis habitum mirabiliter formatus esset, a primis annis religioni deditus, sacro scripturarum divinarum eloquio incubuit : quarum studio, cælestis vitæ affectibus incensus, virtutum omnium at maxime humilitatis cultum actibus suis exhibuit. Adeo ut cum miraculorum etiam

miracula,

gratia divinitus decoratus esset; quorum fulgore emicanti sanctitatis ejus fama percrebrescebat, ut humanæ laudis auras vitaret, secessum a solo natali remotum, ubi soli Deo notus degeret, cogitavit. In Aquitaniam igitur profectus, audita miraculorum celebritate, quæ ad tumulum S. Martialis magis in dies coruscabant, Lemovicenses venit beatissimi opituloris apud Deum præsidium vigiliis et orationibus efflagitans, quo sibi solitariam vitam meditati consilium felicis successus affulgeret. Divino igitur lumine irradiatus in montem saxi asperrimum, frondibusque umbrosam, prope id oppidum (cui postea sancti advenæ memoria nomen indidit) se recepit, sibi a Clericis Ecclesiæ B. Martialis designatum : illicque cellulam construxit, in qua celestem militiam exorsus, puri famulatus Deo obsequia reddere instituit, vigiliis, jejuniis et orationibus assiduus. Nec sua ex statione unquam pedem dimovit, nisi festis solemnioribus quibus B. Juliani Martyris prope sitam ecclesiam, vel etiam aliquando S. Martialis sepulchrum, magno cum religionis affectu visitabat.

peregrinatio,

solitaria vita.

4 At latere cupientem, divinæ virtutis magnificentia, quæ eum circumfulsit, invitum propalavit. Ex hujus enim miræ conversationis actibus, cum e solitudine splendor accolis circum degentibus refulsisset, concursus ad eum fieri coepit infirmorum opem enixe ejus deposcentium, quos ille precibus fuis, impressoque crucis signaculo recreabat. Energumenos siquidem a dæmonum agitatione liberabat, lunaticis mentem tranquillam, cæcis visum, claudis incessum, restituebat. Cumque diu tam signis, quam virtutibus claruisset vir sanctus, confectus senio, susceptis cum incredibili pietatis sensu sacris mysteriis, terreni carceris mole deposita, ad æterna tabernacula migravit. Inque S. Juliani Martyris, quem ex cælitibus propensius coluerat, æde sepultus, clariora præstitit mortuus quam vivus suorum meritorum insignia, quæ æternæ venerationi nomen ejus ac pignora apud posteros consecrarunt. Plura de eo non cultus. comperimus.

plurima miracula,

sepultura,